


## Dissertatio Inavgvralis Ivridica De Mortvis A Ivre In Vitam Revocatis

Kilonii: Litteris Gottfr. Bartschii, [1760]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010295713>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 1 (33.)





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA 38

DE

MORTVIS A IVRE IN VITAM  
REVOCATIS

QVAM

A VSPICIIS

RECTORIS ET CANCELLARII ACADEMIAE SVAE CHRISTIAN-ALBERTINAE MAGNIFICENTISSIMI

CAESARAE CELSITVDINIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI

P E T R I

MAGNI DVCIS ET HEREDIS IMPERII RVSSICI

HEREDIS NORVAGIAE SVPREMI DVCIS SLESVICI DVCIS HOLSATIAE,  
STORMARIAE ET DITHMARSIAE COMITIS OLDENBVRGI ET  
DELMENHORSTI, REL.

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE  
P R A E S I D E

MAGNIFICO AC ILLVSTRI DOMINO

D. CAROLO FRIDERICO WINKLERO

CONSILIARIO CANCELLARIAE IVRIS ANTECESSORE  
PRO TEMPORE ACADEMIAE PRORECTORE ET ILLVSTRIS COLLEGII  
IVRECONSULTORVM DECANO

P R O F A C V L T A T E

SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES

D. XXIV. SEPT. A. MDCCLX

PVBlice DEFENDET

A V C T O R

IOHANNES HENRICVS DETENHOFF

VICARIVS IMMVNIS R. CAPITVLI HAMBVRGENSIS.

KILONII LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

Blank page with faint bleed-through text from the reverse side. The text is mirrored and mostly illegible due to fading. Some faint words like "P E R L" and "D. Q. V. O. T. O. R. I. A. S. I. N. T. E. R. P. R. E. T. A. T. I. O. N. E. S." are visible.



Q. D. B. V.  
*DISSERTATIO INAUGURALIS*  
DE  
MORTVIS A IVRE IN VITAM REVOCATIS.

§. I.

*Ratio instituti.*



Antiquus jam mos est, ut illi, qui summos in utroque jure ambiunt honores, dissertationem inauguralem, conscribant ac publico eruditorum & amicorum examini subjiciant. Mihi igitur de materia conscribenda meditati, quæ diligentia non plane indigna, & lectu non prorsus injucunda esset, statim in mentem venit communis illa quidem, sed a Christiano & bono quovis viro nunquam negligenda cogitatio, omnia hoc in mundo tam cito immo citius sæpe perire, quam cito fiunt, & caducitati ac mortalitati esse subjecta, mortem denique solvere omnia.

A 2

Quo



Quo magis vero hæc omnia animum occupabant, eo majora mihi obveniebant argumenta, ut limites cogitatis ponerem, præcipue cum praxis in memoriam revocaret, mortuos quandoque in vitam revocari, & illi humani generis hosti suam in omnes sæviendi licentiam a Legibus circumscribi. Hanc igitur revocationem mortuorum in vitam ea ratione explicare animus est, ut generalia quædam de morte, ejusdemque varias significationes & distinctiones juridicas in medium proferam, tunc illos, qui a Legibus mortuis adnumerantur, recenseam, & tandem, quatenus mortui a jure in vitam revocentur, brevius ostendam, quamvis hoc argumentum, si per singula jurisprudentiæ civilis objecta vagari vellem, plenior tractationem admitteret, quam penuria temporis exclusus commodiori occasione servare cogor.

§. 2.

*Generalia quædam de morte.*

Generatim præmittendum erit, vocem Mortis varias permultasque habere significationes & distinctiones, prout Mors a Philosophis, Medicis, Theologis & Jureconsultis consideratur. Quod vero scholas Philosophorum, Medicorum & Theologorum attinet, mei non erit instituti, de iis significatibus, quibus mors in illis designatur, vel de distinctionibus ibidem natis, quando mortem in mortem physicam, naturalem, spiritualem & æternam dispe-  
scunt, prolixius agendi.

§. 3.

§. 3.

*Discrimen juridicum mortis naturalis  
& civilis.*

Mors apud Jureconsultos obvenit vel a naturæ immutabili lege, vel a juris præceptis, ut ex L. 63. §. ult. ff. *Pro Socio*, apparet, illa dicitur naturalis, hæc civilis. Ut vero mortem naturalem paullo accuratius definiam necesse est. Consistit nimirum illa in separatione animæ & corporis, seu in migratione ex hac vita, quæ sane finitio iis, quæ ad meum institutum pertinent, sufficit, quicquid etiam alii subtiliter satis contra illam proferre soleant.

vid. pr. J. quib. mod. jus patr. pot. solv.  
it. Huberi prælect. ad hoc pr. lit. a.

§. 4.

*Discrimen mortis naturalis in specie sic  
dictæ & violentæ.*

Mortem naturalem Jureconsulti iterum distinguunt in naturalem in specie sic dictam & violentam. Ratio enim mortis quærenda est vel in ipso subjecto mortem patiente, vel in alio subjecto mortem per vim inferente seu efficiente. Hujus intuitu ejusmodi mors per vim illata semper dicitur violenta, quamvis ratione imputationis & pœnæ infligendæ adhuc distinctio facienda sit, utrum quis proviso an improvise, dolo vel culpa, alteri mortem per vim intulerit.

Si vero ratio mortis in ipso subjecto mortem patiente

A 3

latet,

latet, distinguendum est, an mortuus ex sui ipsius natura physicali, vel sponte seu voluntarie, hinc ex principio quodam intrinseco mortem sibi consciverit, an mortuus invitus ex principio quodam extrinseco mortem passus, hoc casu mortuus violenter illo vero naturaliter mori dicitur. Hæc etiam ipsis Legibus juris civilis sunt munita. Quam enim per

L. 1. §. 6. ff. de Injur. & famos. libell.

volenti non fit vis & injuria, eo minus autem quis sibi ipsi vim & injuriam inferre potest, sequitur, vim illi, qui sibi ipsi manum infert, & autochiriam committit, vel sponte se occidi patitur, proprie loquendo non fieri; hincque ejusmodi homo non violenter, sed naturaliter mori, non inadæquate dicitur.

§. 5.

*De morte civili.*

Nunc ad mortem venio, quæ, quoniam a naturæ legibus non pendet, sed juris auctoritate vim suam exercet, civilis nominari solet. Hæc vero mors civilis secundum L. 63. §. f. ff. pro Socio in omnia objecta juris imperium suum extendit, eoque ipso morti naturali palman præripere videtur, dum non tantum personas sed & res & Actiones cruentæ falci subjicit. Tria igitur dantur mortis civilis subjecta a se invicem optime in sequentibus distinguenda, examinanda & accuratius illustranda, quum fundamentum sint totius hujus tractationis, ita ut his peractis facilius determinari queat, quomodo & quatenus hæc subjecta morti tradita, a jure in vitam iterum sint revocanda.

§. 6.

*De morte civili ratione personarum.*

Mortem civilem ratione personarum recte definiri cum HUBERO & STRUVIO existimo per privationem jurium libertatis & civitatis, homini in statu civili competentium. Persona enim & homo in jure sunt contradictorie opposita, quum illa statum civilem, hic vero nullum habeat. Hinc igitur servi, qui jure civili L. 32. ff. de Regul. Jur. pro nullis habentur, immo per L. 2. §. 2. ff. ad L. Aquilianam, inter rerum & quadrupedum numerum referuntur; morti civili non sunt subjecti, quia per §. 4. f. de Cap. Deminut. caput nullum in jure habent, vita civili nunquam gavisi sunt, potius mortuis jam annumerantur.

*Quo modo mors civilis ratione personarum introducitur.*

Ad jus antiquum si animum adverto, Servium Tullium regem Romanorum invenio, qui populum Romanum in sex Classes & CXCIII. Centurias descripsit, illique pro facultatibus Classium censum imposuit. Huic vero censui nullus subiciebatur, qui saltem jure libertatis & civitatis non gaudebat. Qui igitur in censuales tabulas referri poterant, capite censi, cum contra peregrini & filii familias, quia in Censum suo nomine non veniebant, capite destituti dicebantur. Quoties autem quis e tabulis censualibus debebatur, toties caput de civitate eximi,

eximi, indeque ejusmodi status mutatio in pejus capitis deminutio dicebatur. Vid. pr. *J. de Cap. Deminut.* Capitis igitur deminutio est causa mortis civilis personarum, & fundamentum præbet, cur fictione juris vivi habentur pro mortuis.

§. 8.

*De morte per capitis deminutionem illata.*

Capitis deminutionem esse vel maximam, amissionem nempe status libertatis civitatis, & familiæ, vel mediam, quum status tantum civitatis, vel minimam, quum status saltem familiæ amittitur, notissimi juris est. Non omnis vero capitis deminutio, sed tantum maxima & media mortem civilem producit, uti ex §. præc. & ex l. 63, §. ult. ff. *Pro Socio*, apparet. Privatio autem libertatis secundum

§. 1. *J. de Cap. Deminut.*

illis destinata erat, qui ex legis dispositione servi fiebant, indeque tristi servitutis statui subiciebantur; jus civitatis econtra salva manente libertate secundum

§. 2. *J. l. c.*

amittebant deportati, & quibus olim aqua & igni interdicebatur. Quos singulos curatori disquisitioni submittam.

§. 9.

*De civiliter mortuis per servitutem.*

Per servitutem igitur personæ primo capite deminui hinc civiliter mortui dicuntur. Servitus hæc introducitur vel per natiuitatem, vel per captiuitatem, vel per legis dispositionem

sitionem. Quod ad servos natos attinet, illi hic locum invenire non possunt ex rationibus §. 6. adductis.

Servi vero per captivitatem facti civiliter sunt mortui, hincque ad leges, ut in vitam benigne revocentur, ipsis refugiendum erit, id quod infra ostendam. Eodem auxilio opus habent servi ex legis dispositione tales, ad quorum classem pertinent (a) ex jure antiquo, servi poenæ, mulieres servili amore bachantes ex Senatusconsulto Claudio, qui censum vel militiam subterfugerant: (b) ex jure Justiniano, liberti reverentiæ & officii patronis debiti immemores ut ingrati, & majores viginti annis, qui se pretii participandi causâ venundari passi erant.

§. 10.

*De civiliter mortuis per deportationem.*

Secundo per deportationem personæ capite deminui, hinc civiliter mori dicuntur. An vero hæc deportatio in locum antea usitatæ interdictionis aquæ & ignis sit introducta, jureconsultis disceptationis ansam præbuit, quam vero meam non facio, quum mihi sufficiat, capitis deminutionem eam efficere & mortem introducere civilem, ideoque isti subjectos inter illos pertinere, qui revocationem in vitam a legibus expectare possunt.

§. 11.

*De relegatis.*

Majoris fortasse utilitatis erit disquisitio contentionis illius jurisprudentum, an ex relegatione capitis deminutio,

B

tio,



tio, indeque profluens mors civilis oriatur. In affirmativam sententiam inclinantem video STRUVIUM in *jurispr. rom. germ.* L. 1. T. 14. § 4. distinguentem, an relegatio in perpetuum una cum fustigatione & irrogata infamia dictata, an vero simpliciter vel ad tempus sit imposita. Sed mihi cum legibus sententiæ negativa verior videtur propter clara verba in L. 7. §. 3. ff. *de interd. & relegat.* ubi: *sive ad tempus sive in perpetuum quis fuerit relegatus, & civitatem romanam retinet, & testamenti factionem non amittit, legitur.*

§. 12.

*De effectis juris mortis civilis contra personas.*

Pauca quædam non sine fructu, uti opinor, de effectis, quæ mors personarum civilis in jure producit, erunt monenda, ne omnia, quæ antea prolata fuerunt, vana & inutilia esse videantur. Quæ enim juris civilis sunt, quæ statum civitatis & libertatis concernunt, hæc mors civilis tollit omnia, per L. 17. §. 1. ff. *de Poenis.* Hinc patria potestas, jus tutelæ, testamenti factio tam activa quam passiva perimitur, & quæ sunt plura vid. §. 1. J. *Quib. mod. jus patr. potest. solv.* §. 4. J. *Quib. mod. tut. fin.* & L. 1. C. *de Hæred. instit.* Sed de personis, quibus leges ipsæ mortem inferunt, satis dicta sunt. Priusquam vero rerum jurium & actionum civiliter mortuarum sepulcrum introspeciam, necessarium erit, ut iis personis, quæ in jure civili quodammodo mortuis æquiparantur, locum quendam hujus dissertationis adsignem.

§. 13.

§. 13.

*Impuberes, Furiosos & mente captos civiliter  
mortuis annumerari, neminem fugit.*

Mortem civilem autem in privatione jurium homini in statu civili competentium consistere, traditum est supra. Nihil itaque certius, impuberes, furiosos & mente captos omnibus illis, quæ ad jura civilia pertinent & quæ vitam civilem constituunt, carere, & inter alia de bonis suis non nisi aliorum auxilio implorato disponere posse. vid. §. 3. J. de Curator. Furiosorum enim, mente captorum, & qui his comparantur, nulla est voluntas, L. 47. ff. de Acquir. heredit. adeoque omnes actiones, quæ voluntatis determinationem & intellectus decretum requirunt, ab ipsis sunt alienæ, & invalidæ absque consensu curatorum celebratæ.

§. 14.

*De Prodigis, surdis & mutis & de  
dormientibus.*

Propter eandem similitudinem prodigi, surdi & muti & qui perpetuo morbo & quidem tali laborant, qui animi vires perturbat, quodammodo civiliter mortuis annumerantur. Quum enim hi rebus suis superesse nequeunt, §. 4. J. de Curator. juribus, secundum statum civilem iis alias competentibus, si non privantur, tamen plena iis utendi & de iis pro arbitrio disponendi facultate destituuntur. vid. L. 29. C. de Testam. ubi: qui neque scribere neque articulate loqui potest, mortuo similis est: legitur. His addere conor etiam dormientes; quamvis enim vita naturali eos omnino gaudere

B 2

nemo





mo negabit, attamen rationis iudiciiue exercitium in ipsis exulat, indeque nec possessionem arripiunt, L. 1. §. 3. ff. *de acquir. possess.*, nec delinquent in somno, clem. un. *de Homicid.*, adeoque, quamvis jura, quæ jam habent dormientes, non amittunt, tamen quia iis neque in commodum suum uti, neque mediantibus iis sibi quid acquirere possunt, insuper imputationi nulli sunt obnoxii, civiliter mortuis illos æquiparandos esse Doctores quidam sentiunt.

§. 15.

*De longe absentibus.*

Nemo est quem fugiat, mortem absentis ex longissimi temporis lapsu a legibus præsumi & per diuturnum tempus absentibus nulla tribui effecta, quæ de vivis prædicantur. Quum autem hæc fictio aut mortis præsumtio tantæ non sit efficaciam, ut morti naturali absentem subiciat, qui potius re ipsa inter alios vivos vitam servare & tranquillam degere, bene latere hinc bene vivere potest, tamen a legibus in orcum rejicitur, hanc mortem non nisi fictam & civilem, & longe absentes civiliter mortuos esse, maxime confido. Ex quanti temporis lapsu vero mors absentis præsumatur, de eo nil certi in legibus reperitur, infinitæ igitur circa eam quæstionem auctorum pugnæ excitatæ sunt, excitantur & nunc, & excitabuntur in posterum. Ego sententiam LEYSERI in Spec. 96. Med. 5., septuaginta annos ad præsumendam mortem absentis sufficere statuentis, optimis rationibus suffultam esse contendo.

§. 16.

§. 16.

*De morte civili ratione rerum & Actionum.*

Hiscæ peractis & cognito effectu mortis civilis intuitu personarum, ad illam me converto mortem civilem, cui res & Actiones sunt subjectæ. Omnia enim in jure ob existentiam vivere, ob finem & interitum vero mori dicuntur. Hinc in L. 7. §. 1. *de Donat. inter vir. ex uxor.* res mortua, in pr. J. *de perpet. & tempor. Act.* Actiones vivere, in L. 18. ff. *de Usufr. & quemad. arbores demortuæ*, & in L. 1. ff. *de Censib.* vites mortuæ leguntur. Omnes vero enumerare passus & casus, ubi mors civilis ratione rerum earumque jurium & Actionum efficaciam suam producere potest, fines huic dissertationi constitutos excederet. Hic sufficiat, ex L. 63. §. ult. ff. *Pro Socio*, generatim in medium proferre, quod res intendant indeque mori dicantur, *quum aut nullæ relinquuntur aut conditionem mutaverint.* Actiones vero & jura rebus inhærentia mori, si non amplius existant sed amissa vel præscripta sunt, dictum est antea. Quomodo res mortuæ Actiones & jura mortua in vitam sint revocanda, propius ad institutum meum spectat, & infra ostendendum erit.

§. 17.

*De naturaliter mortuis a jure in vitam revocatis.*

Ordo nunc tangit specialiolem disquisitionem mortuorum a jure in vitam revocatorum. Quum enim vivos

B 3

pro

pro mortuis quandoque haberi antea ostensum, nunc etiam demonstrandum erit, mortuos fictione juris interdum pro superstitibus & vivis haberi posse. Ad personas igitur naturaliter mortuas quod attinet, quarumque supra §. 3. memini, notabilis exstat lex in pr. J. de Excusat. tutor. ubi illi, qui pro republica ceciderunt & in acie perierunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Insuper etiam usus & effectum hujus a jure facta revocationis naturaliter mortuorum in vitam ex hac lege cuilibet apparet. Simile accidit in successione ab intestato, ubi plures unam personam defuncti tanquam vere viventem repræsentant.

§. 18.

*De revocatione in vitam civiliter mortuorum per captivitatem.*

Supra §. 9. dictum, dari servos per captivitatem tales, eosque vita civili destitui. Hi vero jure postliminii, in ipsorum favorem introducto in vitam revocantur. Postliminium enim fingit, captum semper in civitate fuisse, & consistit in jure, quo personæ vel homines indistincte in pristinum rediguntur statum, & competit aut in bello aut in pace vid. L. 5. §. 1. 2. ff. de Capt. & de postlim. Huic fictioni leges aliam adhuc addunt. Lege enim Cornelia, ut incidenter adducam, cautum est, illum, qui reversus non est ab hostibus, in omnibus partibus juris quasi tunc in libertate decessisse videri, ipso momento, cum captus est. vid. L. 18. ff. de Capt. & Postl. Quum itaque ex captivitate reversi vi beneficii legis jura tam libertatis quam civitatis & familiæ retinent, ac illa nunquam amisisse censentur, resuscitati a jure in vitam si non perfecte, tamen

eo respectu vocari possunt quod hæc jura, quæ durante captivitate quieverunt, cum ipsorum persona iterum reviviscunt.

§. 19.

*De resuscitatione servorum ex legis dispositione talium.*

Quomodo servi fiant ex legis dispositione supra §. 9. allegavi, qui etiam pro civiliter mortuis reputantur, hinc auxilio revocationis in vitam opus habent. Ad ipsum vero modum revocationis quod attinet, manumissiones sunt introductæ, quæ consistebant in liberatione a potestate dominica seu conditione servili, vid. pr. J. de Libertin. ac varias habebant solemnitates. Mox fiebant solemniter per censum, testamentum & vindictam & in S. S. ecclesiis, mox minus solemniter per epistolam, convivium, nominationem filii & inter amicos. Quando ergo servi hoc modo libertatem accipiebant, servitus moriebatur, quare in L. 92. ff. de Solut. & liberat. & L. 209. ff. de Regul. J. manumissio & servitus morti & mortalitati comparantur. Notandum autem est, servos per nativitatem tales, quum per supra deducta vitam non habent, per manumissionem fieri vivos, servos vero per legis dispositionem tales per manumissionem proprie loquendo in vitam revocari.

§. 20.

*De revocatione deportatorum in vitam.*

Deportatos mortuis esse similes §. 10. probatum dedimus, quibus hodie proscriptos seu in poenam banni imperii condemnatos comparari posse statuit STRUV. in  
*Syntagm.*

*Synagm. Jur. Civ. Exerc. 8. th. 68. & cum eo plures.* Hi vero deportati & banniti a jure in vitam revocantur per restitutionem seu aggratiationem principis. Qui enim secundum §. 1. *J. Quib. mod. jus patr. potest. solv.* ex indulgentia principis restituti sunt, per omnia pristinum statum recipiunt. Et quum in L. fin. §. fin. ff. *de sentent. pass.* deportatio rerum omnium spoliatio est, ita indulgentiæ restitutio ibidem dicitur recuperatio bonorum ac dignitatis, uno nomine amissorum omnium. Hæc vero restitutio non retrotrahitur ad tempus damnationis, nec interim gesta annullat, sed secundum l. 1. ff. eod. ita intelligenda est, ut, si e. g. pater deportatus restituatur, interim gesta per filium, cujus consilia legitima ætas firmaverat, rata sint.

§. 21.

*Quomodo impuberes, furiosi & mente capti a similitudine civiliter mortuorum liberantur.*

Ad impuberes quod attinet, illos quodammodo civiliter mortuis annumerari vel potius hisce similes esse statui. Ratione revocationis in vitam ad illos spectantis, distinctio facienda est inter actus mortis causa & inter vivos. Illo casu pro vivis, qui mortis causa agere possunt, habentur simulac puberes sunt facti, L. 5. ff. *Qui testam. facere poss.* hoc vero casu non, nisi majorennitatem consecuti sunt, pro civiliter vivis, qui pleno gaudent jure administrationis, habentur, pr. J. *de Curator. L. 3. ff. de Minor. vig. qu. annis.* Adhuc differentia quædam fundata est in §. 10.

§. 10. J. de inutil. stipulat. inter infantia proximum & pu-  
bertati proximum, ita ut hic alium sibi, se ipsum vero  
nemini obligare possit, cui dicto posteriori iterum in L.  
25. §. 1. ff. Quando dies legat. ced. restrictio additur: nisi  
pupillus locupletior factus vel ex obligatione naturali solvit.

De furiosis Lex 1. ff. de Curator. furios. claram conti-  
net dispositionem, quum istos, si sanitatem mentis rece-  
perint, ipso jure a cura liberare vult, hinc etiam in inte-  
gro intervallo, per quod tempus etiam illud duraverit, vivis  
annumerantur & ipso jure administrare & valide agere pos-  
sunt. His mente capti per omnia sunt similes ratione  
jurium, alias gradu & ita inter se differunt, quod furiosi  
cum impetu agant, mente capti vero, quamquam &  
pleno rationis usu non gaudeant, quieti sint.

§. 22.

*Prodigi surdi & muti ac dormientes jura vi-  
ventium, quatenus illis privati videntur,  
recipere possunt.*

Lex jam allegata 1. ff. de Curat. furios. etiam ratione  
prodigorum disposuit, quod, si sanos mores receperint,  
ipso jure desinant esse in potestate curatorum. Tunc er-  
go liberam rerum suarum administrationem recuperant,  
& ita in vitam civilem quasi revocantur, cujus ad minimum  
usum ad tempus amiserunt. Desuper vero lex 6. ff. de  
verb. obl. aliam adhuc distinctionem continet inter obli-  
gationem activam & passivam. Is enim, cui bonis inter  
dictum est, stipulando sibi acquirere, tradere vero, vel  
promittendo sese obligare non potest.

C

Sur-

Surdorum & mutorum Condicio, postquam solemnitates stipulationum abrogatæ sunt, hodie in omnibus fere favorabilior est, indeque illis hodie omnia jura civilia competere, hinc vitam civilem ipsis recte assignari non abnuo.

Quando vero dormientes e somno nimirum evocati in exercitium jurium iterum constituentur, ipsa somni notio cuilibet præbet, ita ut hoc nihil facilius determinari queat.

§. 23.

*De restitutione longe absentium.*

Hi annum septuagesimum egressi civiliter mortuis aliquo modo fictione juris annumerati sunt supra. Quæ tamen fictio, a veritate victa, lubenter exulat, revertente nimirum eo, qui per diuturnum tempus absuit adeo, ut naturali suadente æquitate & legibus ita statuentibus in pristinum statum plenarie restituatur, & jura, quæ durante absentia ipsi, tanquam præsumptive tantum viventi, conservata sunt, integre manibus ipsius tradantur.

Hiscæ de revocatione civiliter mortuorum in vitam eorumque, quos quodam modo civiliter mortuis similes dixi, jam absolutis, hoc tantum monendum censeo, personas in §. 13. 14 & 15. prolatas, nimirum furiosi, mente capti, prodigi, surdi, & muti, dormientes & longe absentes, ideo forsan non inepte civiliter mortuis similes esse dici, quoniam mors civilis potissimum in privatione juris civitatis se exerit. Jura civitatis vero secundum HEINECCIUM in *syn. Ant. Rom. App. c. 1. §. 22. 23. & seq.* etiam exercitium omnium jurium civilium requirunt.

Ut



Ut itaque paucis me expediam, cives Romani jure conubiorum, testamenti factionis, legitimi dominii hinc plenariae administrationis gaudebant, quorum tamen jurium uni ex adlatis personis hoc, alteri illud ad minimum quoad exercitium seu actum secundum deest, adeoque in illo, quo consideratus est statu saltem, magis de civiliter mortuis, quam de vivis participant.

§. 24.

*De rebus mortuis iterum reviviscentibus.*

Res, quæ aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutaverunt, interitas indeque ob similitudinem & analogiam juris ipsa legum auctoritate §. 16. mortuas dixi. Ratione rerum, quæ intereunt, attamen reviviscunt, exemplo sint res immobiles juris intellectu tales, ubi aliæ loco intereuntium substituuntur adeoque illis vitam quasi reddunt. Similem substitutionem aliarum arborum in locum demortuarum & hæcæ quasi resuscitantium ratione ususfructus agri legati in L. 18. ff. de usu. fruct. & quemad. legimus, hinc res mortuæ analogice revivisci videntur.

Majori autem attentione dignum est jus postliminii intuitu rerum introductum. Quum enim res ob mutatam conditionem & magis adhuc per occupationem bellicam, ubi dominia rerum sunt valde incerta mox ab hoc, mox ab illo vindicata, intereant; jure postliminii in pristinum statum rediguntur, & priori domino restituantur hinc quasi reviviscere recte dicuntur. Distinctio hic plerumque adplicari solet inter res mobiles & immobiles ab hostibus captas. Harum quippe dominia expulsis hostibus

C 2

jure





jure postliminii per L. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. semper redeunt ad suum dominum idque cum omnibus juribus ipsis inhærentibus. Vid. L. 26. ff. quib. mod. ususfr.

Illæ vero quas postliminium restitui jubet, vel speciali legis privilegio restitutionis gaudent, uti naves longæ atque onerariæ & equi freni patientes per L. 2. pr. & §. 1. de Capt. & postl. vel non. Si res mobiles ab hostibus captæ ex speciali legis beneficio jure postliminii non gaudent, tunc hostium fiunt, simulac in custodiam & præsidia hostium sunt deductæ. Quando igitur tunc recuperantur, occupanti cedere, quando vero recuperantur, priusquam ab hostibus in castra deductæ fuerunt, pristino domino restituendas esse, communiter statuitur.

§. 25.

*De juribus mortuis iterum  
reviviscentibus.*

Jura analogice ob existentiam & durationem in jure vivere, ob amissionem & interitum vero mori dicuntur per §. 16, quorum jurium amissionum & interitorum restitutio reviviscentiæ seu revocationis in vitam nomine venire solet, cujus rei veritas ex eo magis elucescet, si distinctionem juris in re & juris ad rem ob oculos ponamus. Hoc, quod ex facto obligatorio oritur, variis modis extinguere & reviviscere posse, cuilibet notum est. Mutuum e. g. filiofamilias datum ex ipsarum legum dispositione nullum habet effectum in jure, sed simulac contractum, etiam extinctum

extinctum & mortuum est, ita ut filiusfamilias exceptione SCti Macedoniani se tueri possit. Attamen jus mutui reviviscit, filiofamilias sui juris facto & debitum agnoscente. Moto concursu creditorum debitor bonis cedens, per ipsam cessionem ab omnibus obligationibus, quibus creditoribus obstrictus erat, liberatur, moriuntur ergo obligationes debitoris antea existentes. Sed non æternæ morti subjæctæ sunt, potius, ne omni spe excidant creditores, iterum reviviscunt, si quid postea adquisiverit debitor ita ut in tantum conveniri possit, in quantum ad fortunam pinguiorem rediit, quæ ipsi facultatem satisfaciendi creditoribus reddit vid. §. fin. inst. de act. Neque ratione juris in re desunt exempla quæ commode huc trahi possunt. Quod si enim ad multifarias ejus respicio species, dominium nempe, servitutem, hereditatem, pignus & possessionem, statim se mihi ultro offerunt casus. Primo de dominio reviviscente. Dominium est vel plenum, vel minus plenum, directum vel utile, vel naturale vel civile. Et hæc domini divisiones jam satis probant, non semper omnia ad dominium pertinentia jura in una persona concurrere. Quatenus igitur domini jura sunt divisa, eatenus dominium plenum in tantum extinguitur & moritur, quia nimirum hæc divisio alium domini hujus reddit participem. Sic moritur dominium utile in feudo & emphyteusi intuitu domini directi & emphyteuticarii. Dominium civile dotis dormit ratione uxoris, sed reviviscit illud consolidatione feudi, hoc soluto matrimonio vel aliam ob causam bonis dotalibus uxori restitutus. Quod ad servitutem reviviscentem attinet, extincta re, cui servitus inhæret, hæc ipsa extinguitur & cui ignotum est, re restituta, etiam reviviscere servitutes rea-

les arg. l. 20. §. 2. ff. de Servitutib. præd. Urb. Jus hereditarium ab intestato per testamenta valida omnibus destitui effectis notissimi juris est. Si vero testamentum validum per accidens quoddam, ob statum testatoris mutatum, v.g. si homo sui juris alieno juri sit subiectus, irritum fit, indeque non subsistit, tunc jus hereditarium ab intestato reviviscit, & testamentum per se validum nulla juris effecta habet. Similem vero rationem habere potest cum jure hereditario ex tali testamento. Testamentum enim irritum nulla habet effecta, si vero homo status mutationem passus iterum sui juris factus, & testamentum ante factum nova declaratione adprobet, tunc prætores possessionem secundum tabulas concedunt, & jus hereditarium ex testamento reviviscit. Tandem de pignore & hypotheca, nec non de possessione mortua, iterum reviviscente, plura in medium proferre, quum negotia forensia & domestica filum abruptum jubent, impediunt; interim tamen eorum curatiorem disquisitionem opportuniori occasione servo.

## §. 26.

*De actionibus mortuis iterum  
reviviscentibus.*

Quando actiones mortuæ dicantur, supra §. 16. ostendi. Ad reviviscentiam vero earum quod attinet, ut generalia tantum adducam, remedia restitutionis in integrum, non erunt prætereunda. Prætores nimirum multis ex causis in integrum restitunt. Hinc dolo & metu deceptis,

ptis, in ætate infirma & lubrica constitutis, absentibus &c. succurrunt, indeque horum intuitu actiones etiam si sint amissæ & præscriptæ in vitam revocant. Quod tamen cum grano salis omnino ita intelligendum est, ut restitutio hæc certorum temporum limitibus sit adstricta, neque in infinitum procedat. Hæc pro præsentis sufficiant: Quæ quidem satis generalia magis magisque determinari & ad specialiores casus adplicari facile possent, sed breve tempus hujus dissertationis conscriptioni destinatum, & antea jam dicta impedimenta uti opinor, satis legitima finem mihi huic dissertationi ponere jubent, ea autem, quæ non satis accurate nec concinne satis dicta sunt, lectoris benevolentia omnia hæc bene perpendentis, pro humanitate sua & æquanimitate condonabit.

T A N T U M.



CLARISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

**R**eddo TIBI nunc TVAM *de mortuis a iure in vitam revocatis* conscriptam dissertationem, quam censurae meae subiicere atque in illius publica contra dissidentium obiectiones defensione, meo qualicumque moderamine vt TIBI adsim a me petere TIBI placuit. Tuam illam iure meritoque voco, & nihil eam continere, quod meum dici queat, publice profiteor. Animus quidem initio erat, Tuis cogitationibus, meditationes quasdam subitatas addere, sed mox iterum mutavi mentem, partim, ne hac ratione deformatetur, TVA, quam operose ordinasti, tractatio, partim etiam temporis inopia me admonuit, dum hisce demum diebus hae pagellae traditæ mihi fuerunt, TE autem forensia negotia ad TVOS revocant, & clientum adclamationes, diutius apud nos morandi, id quod equidem vehementer optarem, veniam non concedunt. Nil itaque mihi restat, quam vt TE, turbas nostras literarias, cum strepitu causarum practicarum, magis sane proficuo, mox commutaturum, cum laude dimittam, votisque integerrimis TE comiter. Diu iam meritis es ista priuilegia atque honores, quos nunc petis, industriae, doctrinae, & vsu rerum forensium subacti iudicii praemia. Postquam enim per plures annos in tritura forensi ambigua causarum fata cum successu felici euoluisti, & nunc in scrutinio TEcum instituto, satis ordini nostro probasti, TE etiam iuris scripti arte, & scientiis, ex quibus illud illustrationem & incrementum capit, animum egregie imbuisse, iure TVO postulas, vt debiti TIBI honores in iure summi, rite conferantur. Hos TIBI ex animo gratulor, quo magis de amicitia TVA, quam exornasti, gaudeo, & quo maior est voluptas, quam ex suaui TVA & amoenitatis plena consuetudine percepi. Faxit supremum numen, vt diutissime rebus forensibus interesse, atque in causis orandis, vt hactenus, ita & in posterum, iustitiam promoueas & emolumentum eorum, qui auxilium TVVM implorant. Sic operam TVAM indefessam foro ornamenta egregia, clientibus salutem, TIBI gloriam, mihi & omnibus, qui rebus TVIS fauent, laetandi occasionem vberissimam adlaturam esse, certissime auguror. Virtus TVA, doctrina & probitas, haec omnia spondet. Vale, praestantissime Doctorande! & fave ei qui totus TVVS est, eritque semper. Dabam Kiliae d. XXII. Septemb. MDCCLX,

28. Dez. 1882



Etam. Menoch. d.l. Bart. Firmian. in tr. de gabelis 3. part. 8. part. principal. qu. 34. Tiraquel. d.l. n. 42.

LXXXVI.

Absenti licet donatio fieri non possit sine epistolâ aut nuntio l. 10. de don. secus tamen est in donatione remuneratoriâ, teste Tiraqu. d.l. num. 65. Dispositio l. 15. C. de R.V. ut, si duobus res sit donata, is potior habeatur, qui prior possessionem acquisivit, non locum habet, si alteri causâ remunerationis res sit donata, cum tali in casu causâ onerosa titulo lucrativo sit preferenda, Pruckman. conf. 39. n. 86. Cessat quoque dispositio l. 3. ac 6. C. de sec. nupt. in donationibus remuneratoriis. Menoch. conf. 155. n. 6. & conf. 496. n. 16. Hodierna d.l. n. 2. Remuneratio siquidem, cum admodum sit favorabilis, largam recipit interpretationem. Menoch. conf. 112. num. 27. Franc. Mantig. tr. de conject. ult. volunt. lib. 7. tit. 1. n. 21. Res legata si fuerit alienata, legatum ademptum præsumitur, l. 18. l. 24. §. 1. ff. de adim. & transf. leg. Si verò remunerationis causâ in benemeritum fuerit translata, legatum non erit ademptum, arg. l. 11. §. 12. ff. de leg. 3. & arg. §. 12. l. de legat. videtur enim esse alienatio quædam necessaria. Menoch. lib. 4. de præsumpt. præf. 167. n. 31. & seqq.

LXXXVII.

Donanti competit beneficium competentia l. 19. §. 1. ff. de Re Iud. l. 33. ff. de iur. dot. Si verò ob benemerita facta fuerit donatio, hoc beneficium illi non competit, arg. d. l. 33. Bened. à Vadis in access. ad Felin. lib. 2. decret. tit. de iudic. c. novit ille n. 12. Jason. in l. ex hoc jure ff. de l. & l. num. 67. Tiraqu. d.l. num. 58. Ioan. Garfias à Saabedra d. tr. num. 18. Roman. conf. 26. num. 8. Bachov. ad Tr. vol. 2. disput. 18. thes. 3. lit. E. Christ. Ph. Richter part. 4. conf. 42. n. 371. Mynsing. comment. ad Inst. tit. de don. Et hanc Dd. esse opinionem communem testatur Vivius lib. 1. opin. 81. Syntagm. commun. opin. tom. 2. p. m. 422. An donatio remuneratoria excludat conditionem indebiti varia est Dd. sententia. Cum vero ex variâ meritorum acceptione hæc opinionum discrepantia ortum traxerit, nec nobis de meritis exiguis hic sermo sit, has opiniones Dd. referre merito superse demus, In hac verò nostrâ donationis remuneratoriæ specie, quia cesset

